D. O. M.

AD ILLVSTRISS. VIRVM IOANNEM CORNELIVM.

BRIXIAE PRAETOREM AMPLISSIMVM, ac vigilantissimum.

IACOBI TAVORELLI CAMERTIS.

ORATIO.



BRIXIAE

Apud Filios Vincentij Sabbij. M. DC. IIII.

De consensu Superiorum.

6

D. O. M.

AD ILLVSTRISS. VIRVM

IOANNEM CORNELIVM.

BRIXIAE PRAETOREM AMPLISSIMVM,

IACOBI TAPORELLI CAMERTIS

ORATIO.



BRIXIAE

Apud Filios Vincentij Sabbij. M. DC. IIII.

De consensu Superiorum.

AD ILLVSTRISS. VIRVM IOANNEM CORNELIVM.

TXIAE PRAETOREM AMP. ac vigilantissimum.

ORATIO.

SI, quantum tuus Brixia discessus affert, mortalibus dolorem, tantam nunc mihi afferret ad dicendum facultatem, (Vir Illustriss. vosq; cęteri Ciues Nobilissimi) & quantum in mę nunc adest voluntatis, tantum facultatis adesset: non verrerer profecto hunc in locum ascendere, neq; dum de tuis virtutibus apud te, tanto hominum conuentu, verba facere cogito, perterrerer; sed quoniam nescio quo pacto factum fuit, vt nouus ad te accederet orator, nulla imbutus doctrina, imo ad arma potius, quam ad studia natus, ita nunc animo perturbor, ita timore deijcior, ac mętu perfringor, vt nullum corporis membrum, nulla pars animi satis probe, & cōmode suo munere fungi posse videatur; hęsitat lingua cordis trepidatione impedita: deficiet vox primis pręclusa, & elisa faucibus: languet spiritus: cor obstupescit: genua labant: corpus deniq; totum, atq; membra eiusdem omnia contremiscunt: Atq; illud mihi accidere intelligo in te, illudq; quo splendes lumen intuenti, quod ijs solet accidere, qui aduer-

ſum oculis ſolem intuentur: vt .n. illi, cum radios ferre non poſſint moderatoris illius, ac Principis ſyderũ, ne adſpectum amittant oculorum, coguntur lumina propter effuſam lucem, ingentemq; ſplendorem hebeſcentia, auertere: ſic ego fulgore,& quaſi radijs virtutum tuarum circumfuſus, ne mente quidem poſſum, cogitationeq; complecti, quod tamen verbis explicare, ornareq; contendo, ac ſtudeo. Quid igitur capiam conſilij, ſi, quantum ſupereſt ad dicendum voluntatis, tantum deeſt facultatis, ac Virium? equidẽ (fatebor .n. libere) ſubterfugerem omnino hoc, quãquam perhonorificum, & amplum, tamen, cum difficile, & graue, tum periculoſum, & humeris meis impar onus, & orationem meam erumpere geſtientem, cohiberem,tuarumq; virtutum magnitudine perterritus, obmuteſcerem, niſi incredibili, ac pœnè diuina tua humanitate, Comitate, lenitateq; conſiderem; quæ, cum adeo ſit Illuſtris, vt latere neminem poſſit, mirum videri non debet,ſi, quam ſępe à propoſito tacendi me auertit,tenuitas ingenij,doctrinę facultatiſque meæ,tam ſępe ad declarandam,quaquã licet ſignificatione, orationemque admirabilem meam, & mei, quem adeſſe vides, Patris, in te obſeruantiam,ac Pietatem,hortata eſt, impulitq; ſumma tua benignitas, comitáſque pœnè diuina: ea me facit audentem, ea tuarum Virtutum ſplendore perculſum animum reficit, timentemque confirmat, ea monet, ortaturq.

ne verear te adire, & oratione ineleganti ſalutare, ac venerari, vel potius puerilibus nugis grauiſſimum caput,& caſtiſſimas aures obtundere,incultoq; ac puerili dicendi genere eximias, atq; ſingulares proſequi, complectiq; virtutes, ea deniq; non ſolum ſi errauero veniam pollicetur, ſed erroris quoq; commendationem laudemq; recipit, atq; promittit: hac igitur ſpe confirmatus, nil erit quod me vltra terreat: iam libere omnia, quæ animo concepi, libera etiam voce in hoc præſtantiſſimo auditorum cœtu, proferam; ſed quęſo, Vir, Illuſtriſs. dum per ampliſſima laudum tuarum maria percurro, quęſo, inquam, orationis meæ curſum, aura benignitatis, facilitatiſq; tuæ ne deſiſtas adiuuare. Vos autem A. N. oro, atq; obteſtor, vt, ſi me ſublimia humiliter, ampla tenuiter, illuſtria inornate tractantem, & ex innumerabilibus, quæ ad dicendum ſuppetunt plurima prætermittentem, pauca proponentē, verius quam exponentē, audietis, cogitetis non poſſe quenquam in tam vbere materia omnia perſequi, neq; ea, quæ ſatis per ſe ſplendida, & magnifica ſunt verborum ornatu indigere. Vela igitur dabo, & quamquam immenſum ingrediens oceanū, ne in ſcopulos incidat nauis, & allidat præſertim nouus, & imperitus nauta magnopere veretur, fretus tamen iſtis ſilentij, & beneuolentiæ veſtræ ſecundis ventis, orationem aggrediar: quæ ne libere nimis vagari poſſit, vt nullum poſtea portum reperiat, conſti-

tuam mihi, certos terminos, ac limites, quos prætere-rire, licet maxime velim, nequaquam tamen possim. Primo itaq; nonnulla de tui generis nobilitate attingam, nõ quod non habeã certas, ac proprias tuas laudes, sed vt inde aperte cognoscas quantum Nobilissimæ familiæ tuæ decoris, ac honoris addideris; postremo illas, quæ fulgent in te virtutes, & ea, quæ præclare gesta sunt (æterna dignissima commendatione) commemorabo. Ac equidem Vir Illustris. vt meæ quantum in me situm est minime molesta sit oratio; silebo Patriæ tuæ claritatem: non dicam illam semper admirabili quadam virorum virtute, & singulari concordia, felicissimam ab initio partam libertatem, conseruasse: non commemerabo virorum gloriam, qui non modo animi magnitudine, ac virtute parua manu ingentes hostium copias vicerunt, sed fortunam ipsam contra se pugnantem, superarunt: omittã incredibilem, ac pænè diuinam tantæ ciuitatis humanitatem, ad quam gentes omnes, tanquam ad otij portum terra, mariq; ab hostium conatibus exagitatæ, confugerunt: tacebo eximiam in Deum Optimum Maximum Pietatẽ, quã, à suis incunabulis, non solum agnouit, & coluit, sed ab omnibus etiam hostibus armis tueri consueuit. Multa, ac pęnè infinita, quæ de Nobilissima Venetiarum Ciuitate, & eius admirabili gloria dici possent, mihi prætermittenda esse duxi: quorsum enim aggrediar laudationem tuæ Patriæ,

in qua natus, integerrimeq; educatus fuisti; cum mea ad tuæ Nobilissimæ Familiæ claritatem, ex qua tot Principes, tot Cardinales, tot Venetæ Reip. vt vocant Procuratores, promanarunt, properare videatur oratio: quæ vix è portu egressa, debet adhuc amplissima maria perlustrare: quamobrem, vt antiquissimos Heroas, qui omnes posteritati nomen commendarunt; tacitus prætercam, (siquidem mille iam sunt anni & amplius cum tua Nobilissima Familia floret) à Marco Cornelio mea principium ducat oratio: quis est igitur, ita veteris memoriæ ignarus, ita in superiorum temporum Historijs Peregrinus, & hospes, qui non Marci Cornelij optimi, & sanctissimi viri, res pro Patria fortiter gestas, si minus è scriptorum monumentis hauserit, at auditione certa aliquam nō acceperit? cuius Viri Domi, forisq; spectata virtus, & viuum maxima laude cumulauit, & confecto huius vitæ curriculo ad immortalitatem erexit: ab eo Georgius, & Catherina Regina Cypri Fœmina honestissima; duobus quasi riuis ex eodem capite manantibus, originem duxerunt. Hic ego, vir inclite, si orationis vela pandere, & quasi aperto inuectus mari per eorum laudes decurrere instituam, vereor ne cum dicendi principium vel facillime reperero, exitum reperire non possim: quis enim fuit illo, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut pietate, aut vllo genere laudis excellentior? nullius est tantum flumen

ingenij nulla dicendi, aut ſcribendi tanta vis tantaq; copia, quæ non dicam exornare, ſed enumerare Georgij virtutes, & præclare geſta poſſit: tamen hoc affirmo (& hoc pace dicam tua Georgij,) nullam in his eſſe laudem ampliorem, quam eam, quam tunc temporis conſecutus fuiſti, cum Cypri Regnum, quod Iacobus Rex Catherinæ Vxori reliquerat adminiſtrandum, reieciſti, vt illud, Patriæ, quam vita tibi chariorem eſſe dicebas, impetrares à Catherina: O Virum egregia, & ſingulari virtute prędicandum: O Amorem Patriæ admirabilem. O factum commemorabile. O Pietate in omnem futurorum ſæculorum poſteritatem celebrandã. Soleo quidem ego A. ſępe ante oculos ponere, idq; libenter crebris vſurpare ſermonibus, omnes, tum Imperatorum, tum Principum, tum Clariſſimorum Regum, res geſtas: ſed tam egregium factum, non ſolum vnquam non inueni, ſed ne quidem ab vllo audiui: quod ſi tantis laudum pręconijs ad cœlum vſq; ſolemus extollere, Alexandrum illum magnum, qui Regnum regendum recuſauit, quod ſibi poſtea armis ab hoſtibus erat omni ratione cuſtodiendum: Georgeũ vero Cornelium, qui Cypri Regnum ab omnibus hoſtium conatibus liberum, regendum abiecit: quibus laudibus efferemus? quibus ſtudijs proſequemur? qua beneuolentia complectemur? ſed non omnia nobis Vir Ampliſſime, ſunt perſequenda, multa ſiquidem, quæ cum à me multo breuius

nius,multoq; exilius tractari, quam dignitati,atq; am plitudini ipsorum conueniret,sentiam,acutissimis eorum, qui me audiunt, ingenijs prorsus consideranda relinquo;quis.n.modus futurus esset,si in singulis Georgij Virtutibus, atq; aliorum Virorum, qui ex Nobilissima familia tua deriuarunt,immorari,atq; insistere vellem: qua propter nil dico de illo inclito Marco Cardinali Georgij Filio, cuius primum Virtus concordiam Venetiarum imperio peperit,cum Alexandrum Sextum Pontificem contra Venetos incensum ira,nescio qua in dicendo vbertate,atq; eloquentia, conciliauerit, placidum benignumq; reddiderit:mitto incredibiles alias,quæ in illo eluxerunt Virtutes; non commemoro immortalē illam Francisci Aui tui Gloriam, qui tot Ciuitates, tot Prouincias expugnauit, soloq; pœnitus æquauit, qui aditum toties turcis præclusit, eiusdem in conficiendis bellis celeritatem non expono: qua opulentissimos sæpe terruit exercitus hostiū, & res labantes, atq; afflictas diuino propemodum cōsilio confirmauit, & erexit: prætermitto sciens, & Prudens Marci Antonij Patris tui, eximiam Pietatem, Clementiam, Sapientiam,Iustitiam, ceteraq; ornamē ta longe maxima: Sileo Georgij etiam fratris tui, inusitatam Prudentiam, humanitatem, splendorem, spectatissimam honestissimæ Vitæ integritatem, humanarum rerum dispicientiam, diuinarum studium ardentissimum, & infinita alia, quæ si me percensere posse

B putem

putem fallar, prorsus, atq; errem: quæ nisi per se tanta esse confitear, vt nullius oratione hominis explicari queant, non immerito parum sanus vobis esse videar: prætermitto igitur Vir Illustriss. ea ornamenta, quæ tua propria non sunt. Venio nũc ad alteram meę orationis partẽ, ad ea nempe, quæ ipse tibi, labore, diligẽtia, assiduitate, studio comparasti: quorũ splendor tantus meis oboritur oculis, vt vehementer dubitẽ, tu ne maioribus, an maiores tibi, plus attulerit decoris, & ornamenti: nam quæ in illis singulis, singula magna, atq; diuina putabantur, ea vniuersa in te vno, summa, effector ille rerum collocauit, vt non ex illis natus, sed ab ipso Deo fictus esse videaris: imò vt orto sole minora lumina nostri adspectus aciem effugiunt, sic pręclarà maiorum tuorum facta (vt Illustriss. sint) tamen effuso splendore virtutum tuarum extenuantur, atq; illarum omnino lux, & splẽdor euanescit, atq; ipsa mẽs tuarum Virtutũ admiratione perculsa, stupet, & oratio insolito splendore territa, vt earũ dignitatem consequi possit veretur summopere: dicam tamen vt potero. vos A. non ex oratione, sed ex natura ipsa, Admirabiles Ioannis Virtutes penditote: quęso vos, qui tãta benignitate, quæ dixi adhuc audistis, mihi illas, quarũ, & in hac Vrbe, & in omnibus Venetiarũ Ciuitatibus videmus impressa vestigia, adumbrare cogitanti, exiguo temporis spatio, attentionem nè denegetis. Multis ego illos imbutos disciplinis, atq; expolitos sciẽtijs,

&

& hisce præcipue Virtutibus, Iustitia, Pietate, Fortitudine, Prudentia, insignitos esse oportere existimo, qui velut in Reip. Puppi sedentes clauum tenent, atq; Ciuitates regunt. quis igitur fuit hoc Præclarissimo Heroe, studia litterarum præstantissima, maiori à teneris vsq; annis amore prosecutus? quis ardentius illa adamauit? à quibus, nullo vnquam tempore, illũ, aut comodum, aut otium abstraxerit, aut voluptas auocarit, aut deniq; somnus retardarit. Hic A. cum acre ingenium à Natura, & velox, & acutum accepisset, nõ, vt solent alij à pueritia adolescentes, præclarissima studia degustauit tantum, & attigit, sed ita animo illa perscrutatus, ita mente complexus fuit, ita memoria cepsit, vt litterarum fontem, atq; studiorum omnium parentem appellarent vniuersi. Hinc Venetus Senatus tanta in illo Virtutũ ornamenta admiratus, illi (vt de alijs taceam dignitatibus prȩclarissimis, quas antea consecutus fuit) illi, inquam, Senatus Patauium, Veronamq; Ciuitates Nobilissimas regendas, administrandasq; comisit. Quid expectatis A. quid vult sibi ista omnium murmuratio? commemorabo, commemorabo admirabilia hic ego tanti Viri Præclarè Patauij, Veroneq; facta, erumpent, erumpent tandem ista inclusa pectore, non tenebo diu suspensos animos vestros, narrabo breuiter, quȩso diligenter attendite. Admirãtur adhuc Populi illi A. Nostri Rectoris Ioannis, in gubernando incredibilem sapientiam, miram

in excogitando Prudentiam, admirabilem suauitatē, ac pęnè diuinam indicendo facundiam: Prędicant alij velocissimū ingenij acumen, & altissimę mentis consilium: celebrare non desinunt quā plurimi, Pietatem in Deū, in agendo mansuetudinem: suspiciunt nonnulli, atq; ad Cœlum extollunt, eximiā illam in regendo Iustitiam, quam sic semper coluisse Populi omnes illi Prędicantur, vt in illo vno præcipuè suum domicilium collocasse Prædicent: sic semper, vel in publicis, vel in priuatis negotijs ius suum vnicuiq; tribuit, sic sanctas leges, sic patruum decreta, sic Populi consuetudines obseruauit, vt omnes illum Iustitiæ, & concordiæ parentem appellarent. Quid Plura? quid honeste ab illo petiuit aliquis vnquam, quod non impetrauit? quem vnquam egentem, & quæ ad victum suppeditarent, atq; cultum corrogantem, vacuis à munere manibus dimisit? quod verbum vnquam ex eius ore durum, & probrosum excidit? Hunc A. deflent inopes altorē, & educatorem suum: hunc viduæ suos filios miserantem: hunc tutelam suā pupilli deplorant: hunc impotentes, cuius fidem in suis periculis, atq; præsidium senserāt, desiderant, i lli ipsi, qui omniū rerum copijs abbundātes, tanto Viro minus indigere videbantur: tamen hūc tam fidelem sui defensorem concupiscunt, & eius in iudicando æquitatem Prędicant vniuersi. Quare merito, atque optimo iure Veronensis Populus, hunc, non modo moderatorem suum, sed etiam Parentem,

merito

merito,inquam,aurea corona,ad perpetuam suæ gloriæ Claritatem indicandam, cohonestauit: merito,illo discedente, lugebant omnes: merito suspiria pectus, dolor præcordia, animum omnium, meror ingens occupauit: merito personabāt omnia gemitibus: merito vndiq; querelę, & lamentationes exaudiebantur: dum .n. A. Hic illis præerat Ciuitatibus: vigebant sanctissimæ leges: florebant optima instituta: colebatur Iustitia, exercebatur, cum in omnem rerum moderatorem Deum Pietas, tum in Pauperes, incredibilis liberalitas: quæ quidem singula optime sensit Senatus ille, cum hunc reuersum Venetias, tot tantisq; honoribus affecerit, illumq; tanquam numen aliquod nuper è Celo delapsum, admirarentur vniuersi. Ac quidem fieri sæpe videmus A. vt ij, qui ad honorum euehuntur fastigia, nullis se humanitatis, & modestiæ finibus contineant: hic tamen mira in omnes semper fuit morum facilitate, sermonisq; humanitate, atque studio, illudq; alijs iuuandi nunquam deposuit, imò vero auxit in dies, cum in res publicas, tum priuatas omnem operam,& laborem conferendo: cum autem permagni sit Prætoris fungi officio, ac potestate, dum in grauioribus delictis necesse est, ex animi cōstantia, sententiam pronunciare,& pœnas irrogare, interdum etiā in leuioribus misericordię, & lenitatis partes agere: vtrunq; hic ipse A. sic perfecit, vt fortasse, nemo improbis formidolosior, nullis bonis amicior, officiosiorq;

ſiorq; extitiſſe videatur. ex hiſce A. quas tanti Viri enumerauimus Virtutes, animi magnitudinem pendito te, qui nullis vnquam pepercit ſumptibus, qui periculum, non modo furtunarum, ſed ipſius capitis pro patriæ ſalute neglexit, qui deniq; omnes, qui, vel aliqua virtutis, vel nobilitatis nota, exornati, atq; inſigniti eſſent, hoſpitio magnificentiſſime, humaniſſimeque ſemper excipere conſueuit. Hinc profecto factum putamus, vt eius non vulgaris humanitas, mira benignitas ab exteris vſq; nationibus cognoſcatur: hac ipſa humanitate veſtrum omnium animos, non modo, multis in rebus, confirmauit, ſed omnino hac in ſua præfectura deuinxit. quæ, cum tanta eſſe intelligam A. in Ampliſs. Prætore, quanta cuiuſquam hominis mens, & cogitatio vix capere poteſt, tamen taceri, & de memoria deleri, nō ęquidem moleſte feram. ſit illud infixum modo in veſtris animis, inhęreat pœnitus in mētibus omnium, immortalitatiq; mandetur: quod vna tanti Rectoris pietas in Deum, me de rebus alijs dicere cupientem ad ſe vocat, nec in tot laudibus, tam illuſtribus, tam diuinis diutius, vt par eſſet, immorari ſinit. Vos A. ſi quam ex oratione noſtra adhuc moleſtiam cępiſtis, illā præſtantia rerū earum quas commemorabimus prorſus ex animo depellite. quis non admiratur, quæ dicta ſunt, quis non tam magna ducit, & tam illuſtria, vt ea nullius hominis factis, quamuis maximis, poſtponantur, mihi vero cętera omnia leuiſſi-

ma videri ſolent, vnamq; tantum tanti Viri Pietatem in Deum admiror, atq; ſuſpicio: imò hęc ſola cęteras laudes ſui ſplendore, obſcurat, & obruit. quapropter A. nil, aut certe parum apud vos valeat, vel Fabij Dorſonis religio, qui medijs in armis nè paſſus quidem eſt ſacrificium interrumpi, vel Syllę, qui ad omnia bellorum diſcrimina imaginē in ſenu ferebat Appollinis, vel Alexandri Magni, qui ſe neq; Vrbanis, neq; bellicis negotijs implicabat, antequam matutinis ſacris immortalium Deorū numina ſibi propitia reddidiſſet: parum, parum, inquam, hęc apud vos omnes valeant exempla: plurimum vero huius Rectoris exemplum, non inanis, ſed veræ, ac perfectæ religionis apud vos omnes valeat: cuius fultus præſidio, non modo ad alias Ciuitates regendas, ſed ad veſtram Ciuitatem Brixienſem gubernandam, amplificandamq; aptiſſimus fuit: quæ Ciuitas vniuerſa illi ſoli, eiuſq; integritati fuit comiſſa: tantamq;, hic inſuper cęteris publicis in rebus operam poſuit, tanto ſtudio, & publica, & priuata negotia tranſegit, vt tanquam nouum Atlantem totius Ciuitatis pondus ſuis humeris regentē, necdefeſſum tamen, nec hanelantē magna cum omnium admiratione conſpexerimus. ſed quid ego demens apud vos Brixienſes, qui rerum ab eo diuinitus geſtarum teſtes fuiſtis, plura commemoro? quid plura diſputo? quid argumentor? tua, tua Vir inclitè, Iuſtitia, Fides, Pietas, Humanitaſq; incredibilis, ita te illu-

illuſtrem reddit, vt nulla indigeas luce orationis, huius nobiliſſimi Palatij parietes, tecta vniuerſa, pręclara ędificia, muri ipſi, ſi loqui poſſent, ſplendorem tuũ declarant: cum tacent loquuntur: cum obmuteſcunt vociferantur; Vos autem A. cum ſiletis, tunc vno ore ipſius Prætoris ęquiſſimi laudes celebratis. ò fortunatam, ò beatam Patriam veſtram: ò ter quaterq; fęlicem Brixiam, quę tantum Virum gremio ſuo excepit; miſeram vero quæ eundem amittit: merito atq; optimo iure A. iacent animi veſtri, in tantiq; Viri diſceſſu vos à lacrymis, quas grauitas, & conſtantia retinere, ac frenare conſueuerat, abſtinere non poteſtis: merito meret vniuerſus populus: merito ſquallet Ciuitas vniuerſa. quis .n. te ò Brixia, hac in præfectura magis quam ſeipſum dilexit? (Ioannes Cornelius) quis vtilitatem tuã propriæ quieti antepoſuit? (Ioannes Cornelius) quis publicas & priuatas res incredibili humanitate adminiſtrauit? (Ioannes Cornelius) quis omnium officioſiſſimus quis vniuerſis gratiſſimus? (Ioannes Cornelius) quis veſanum fręnauit ſycariorum furorem? (Ioannes Corneluis) quis audaciam eorundem intollerabi lem repreſſit, effrænatoſq; impetus fregit, nefarioſq; conatus retardauit? (Ioannes Cornelius) quis deniq; eoſdem homines perhitiſſimos, in te quotidie cędem machinantes, Peſtem molientes, nunc iſtum, nunc illum oculis ad cędem notantes, ac deſignantes, cęde atq; incendijs te vaſtare

cupien-

cupientes, eiecit, expulit, dispersit, exterminauit? (Ioannis Cornelius?) O Virum omnibus sæculis prædicandum. O Prætorem omnibus linguis celebrandum. quæ tam ingratæ erunt litteræ, quæ de tuis laudibus conticescant? quæ futura est tam Barbara, aut tam longinqua natio, quo non tantarum Virtutum fama perueniat? quæ tam surda posteritas quæ clamores nostros admiratione Virtutum tuarum, excitatos non exaudiat? sed tuas immortales laudes, Prætor dignissime, arida nimis, nimis, ieiuna, nimis inornata oratione attingo. Vtinam duæ mihi linquæ essent, vt Aquilæ sunt Imperiali, vt vberius tuas laudes explicarem; duæ facies, vt Iano fuere, vt melius illas significarem: centum manus, vt Briareus fertur habuisse, vt luculentius illas describerem: verum quid mihi auguror? licet haberem hęc omnia, facilius tamen esset omnes fluuios, quibus terra irrigatur, breui, & angusto loco concludere, quam omnes tuas Virtutes breui temporis spatio, oratione complecti. Nunc demum animaduerto, quam profundo mari, quam immenso pelago, quam infinito Oceano, mea vagari cœperit oratio: me siquidem susceptarum rerum magnitudo, ita huc illucq; ancipitem agit, vt diuersissimis animi fluctibus, tanquam æuoreis procellis, hinc inde agitatus, vbi tandem conquiescam, quo nauim dirigam, quo tendam, quem portum arripiam, non inuenio. Quid igitur faciam. certem, cum quid sequar

non

non habeam, illius ſaltem periti licet, non tamen dementis, Nautę exemplum immitabor, qui cum aliquã longam nauigationem ſuſcepit, ſi vix dum è portu egreſſus, ſe minus inſtructum ijs rebus, quę neceſſariæ ſunt ad tantum iter conficiendum, animaduertat, in eum potius portum reddit, à quo digreſſus eſt, quam ſe pelago non ſatis paratum comittat: ego quoq;, cum tandem nimis aperte videam ingenij mei nauem non ſatis aptam ad eximiorum Virtutum, laudumq; tuarum pondus ſuſtinendum, cœptum iter, ne in ſyrtim incidamus, aut appellamus ad ſcopulos libens potius deſero: idq; eo facio libentius, quod iá alium audio publico Ciuitatis nomine, præparari oratorem, qui meliori orationis ſtilo, firmioribus lateribus, grauiori dicendi genere, ac vberiori eloquentia, pari ſtudio, & eloquentia, tua præclare geſta, commemoret, ornetque, qui merito peracti muneris expectet gloriam, mihi in præſentia ſatisfactum fuerit, ſi cœpti, ac pęne in ipſo calce deſerti muneris non imputetur audacia; ſed iſtam quoq; temeritatis libens ſubibo notam, modo hũc animi mei conatum, nimio ardori aſcriptum; tibi non ingratam omnino fuiſſe ſentiam. ſed, cum & temporis me ratio, & tua ſingularis humanitas, (Vir Illuſtriſs.) vt vela contraham, portũq; tandem aliquẽ aliquando reſpiciã, moneat: quod à te tanta benignitate auditus fuerim, tãtas tibi gratias ago, quãtas maximas agere poſſum, tantiq; beneficij memoriam be-

neuolentia